Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen des Oelsnischen Gymnasiums

am 21ten und 22ten März 1839

ladet ergebenst ein

der Director Dr. Lange.

Inhalt:

1) Observationes criticae in Iliadis librum primum. Vom Director.

2) Schulnachrichten.

Oels 1839, Druck von Adolph Ludwig.



Observationes criticae in Iliadis librum primum.

Tanta est hodie quoque Frid. Aug. Wolfii auctoritas, tanta eius viri admiratio, ut Wolfiana carminum Homericorum editio omnibus paene numeris absoluta perfectaque plerisque videatur. Atque haec non modo semidoctorum hominum opinio est, quippe qui in verba magistri facile jurent, sed etiam judicium virorum apprime doctorum, ut Spitzneri, qui in Epistola ad Godofr. Hermannum data haec pronuntiat: „Jam nemo ignorat Frider. Aug. Wolfium, Homeri conservatorem, Iliadem potissimum tanta industria tantaque subtilitate pertractasse et ad librorum auctoritatem ac grammaticorum praestantissimorum praecepta examinasse, ut editori futuro nihil paene relictum esse videretur.“ Qua in persuasione hoc tamen mirari subit, quod idem vir doctus in sua Homeri editione haud raro a Wolfio dissensit, aliasque lectiones Wolfianis praetulit. Et hoc quidem recte. Nam in ista immodica Wolfii admiratione verendum est, ne auctoritati eius viri plus concedamus, quam vel praestantissimi viri auctoritati concedere liceat. Mihi quidem, etsi Wolfium de carminibus Homericis optime meruisse, et melius quam universos priores editores, minime nego, eiusque viri ingenium et doctrinam suspicere soleo, vulgaris tamen opinio, in Wolfiana editione subsistendum acquiescendumque esse, perversa atque adeo perniciosa litteris videtur. Nam Wolfius inprimis duabus in rebus, mea quidem sententia, editoris muneri et officio parum satisfecit. Quarum altera est, quod vulgatam lectionem, quamquam permultis in locis merito rejecit, non raro tamen injuria relegavit, aut in locum eius non meliorem, quam offerebant codices, lectionem, sed conjecturam aliquam aut aliorum criticorum aut suam praeter necessitatem substituit. De altera re, quae latius patet, paulo copiosius dicendum est. Wolfius, quamquam codicibus carminum Homericorum et editionibus typis expressis longe alios fontes ipse praeposuit, partim scriptorum eorum, qui Alexandrinos criticos aetate antecedentes Homerica laudant, imitantur, explicant, partim Scho-

liorum, et jure praeposuit (Proleg. ad Hom. p. 14 seq. Praef. novae ed. p. 38 seq. et 42): antiquissimis tamen illis testimoniis in textu constituendo obsequi fere noluit, sed illud ei unum propositum fuit praecipue, ut Homeri textum talem exhiberet, qualis Longino alicui, aut alii veteri critico saeculi post Chr. n. tertii aut quarti satis placiturus fuisse videretur (Proleg. p. 21. Praef. n. ed. p. 36). Id cur sibi proposuerit vir clarissimus, me nescire, ingenue confiteor. Tametsi enim poetam ne antiquissimorum quidem testimoniorum subsidio ad principalem et suam formam omnino reduci posse facile concedo, iisdem tamen, quippe quorum et numerus et praestantia multo major sit, quam vulgo creditur, Homerum multo propius ad veritatem integritatemque textus redigi posse, unusquisque, qui ea bene cognita perspectaque habet, facile intelligit. Quare mea quidem sententia est, omnes eas antiquas lectiones postliminio quodam reverti oportere, quae aut praestantia sua antecellant vulgatis, aut certe nullis idoneis ex causis postponantur.

Data igitur scribendi occasione, ut specimen edam novae Iliadis recensionis, quam ex nonnullis annis praeparo, de iis libri primi Iliadis locis disputabo, in quibus a Wolfii judicio discedere aut hac aut illa causa cogor. Elegi vero primum librum, non quo saepius in eo quam in ceteris a Wolfio dissiderem, sed quia rarius. Angusti enim fines, qui mihi hodie constituti sunt, ut breviorem disputationem anteferam longiori, magnopere suadent.

4 seq. haec vulgo leguntur:

αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
οἰωνοῖσί τε π ᾶ σ ι. Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

Quid πᾶσι hoc loco ad sententiam accuratius explicandam valeat, nemo facile demonstrabit. Nemo certe adhuc demonstravit. Nam qui annotant, πᾶς pro παντοῖος interdum dici, nihil faciunt, cum non illud quaeratur, sed hoc, num ex huius loci ratione πᾶσι apte dicatur. Suspicio eo augetur, quod in omnibus similibus locis (Il. II. 393. IV. 237. VIII. 379. XI. 818. XIII. 233. 831. XVI. 836. XVII. 127. 558. XVIII. 271. XXII. 42. 89. 335. 354. 509) id supervacuum additamentum non reperitur. Qua re moti quidam graecorum criticorum post οἰωνοῖσί τε interpunxerunt, et πᾶσι cum subsequentibus verbis copulaverunt, id quod hodie nemo probabit. Bentleius vero ad conjecturam confugiens κύρμα proposuit: haud inepte, nam ἕλωρ et κύρμα conjunguntur: Il. V. 488. XVII. 151. Od. III. 271. V. 473. Sed in antiquissima Zenodoti editione δαῖτα lectum est, quod, cum Zenodotus hunc versum habuerit spurium (vide Scholl.), e prioribus editionibus in Zenodoteam transiisse pro certo duco. Vituperant quidem Athenaeus (I. c. 21. p. 12 f.) et Eustathius (I. p. 19, 45) Zenodoti lectionem, quia δαὶς hominum non bestiarum sit, sed falsam esse hanc opinionem Homerus ipse altero etiam loco ostendit: Il. XXIV. 43, ubi de leone sermo

est, qui εἶσ' ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν. Accedit, quod recentiores scriptores eam vocem saepius de bestiarum pastu usurpare in vulgus notum est. Cur igitur eundem usum ab Homero abjudicemus? Porro, isti antiquae lectionis reprehensioni, non ab Athenaeo et Eustathio, sed ab Alexandrinis criticis profectae, vulgatam lectionem originem debere, facile est intellectu. Quid de altero illo loco statuerint Alexandrini critici, nescimus: si, quod Lehrs (Arist. p. 96) conjicit, Aristarchus βροτῶν δαῖτα conjunxerit, male prospexit Homero princeps criticorum.

20 olim legebatur:

παῖδα δέ μοι λύσαιτε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε.

Wolfius et Heynius ex Scholiis nonnullisque codd. δ' ἐμοὶ acciverunt. Recte, nam ὑμῖν et ἐμοὶ opposita sibi sunt. Cetera vero nihil habent, quod jure offendat. Vide Il. III. 73 οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες, ναίοιτε Τροίην ἐριβώλακα· τοὶ δὲ νεέσθων. 159 ἀλλὰ καὶ ὥς, τοίη περ ἐοῦσ', ἐν νηυσὶ νεέσθω, μηδ' ἡμῖν τεκέεσσί τ' ὀπίσσω πῆμα λίποιτο. VI. 164 τεθναίης, ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην. Od. II. 230 et V. 8. μήτις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω σκηπτοῦχος βασιλεύς .... ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι. VIII. 413 καὶ σύ, φίλος, μάλα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν. Plures locos adscribere taedet. Verumtamen, cum Scholl. BL. et codices multi, in iis Ven., δέχεσθαι offerant, infinitivo recepto ita legendum esse arbitror:

παῖδα δ' ἐμοὶ λύσαιτε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθαι.

Eandem optativi et infinitivi consociationem inveni Il. II. 413 μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι .... πολέες δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν. Od. VII. 222 ὑμεῖς δ' ὀτρύνεσθαι .... ἰδόντα με καὶ λίποι αἰὼν κτῆσιν ἐμήν. Quapropter non indigemus Apionis et Herodori conjectura, quam Eustathius nobiscum communicat: Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος, ὧν βιβλίον (ὑπομνήματα aliis locis nominat) εἰς τὰ τοῦ Ὁμήρου φέρεται, διδόασι καὶ ἀπαρεμφάτως γράφεσθαι· παῖδα δέ μοι λῦσαί τε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθαι. Quam conjecturam insuper inepte explicant. Jubent enim A. et H. infinitivos cum δοῖεν, et ἁζόμενοι cum Ἀτρεΐδαι conjungi. Rectius infinitivos explicavit, istamque conjecturam tamquam doctam in textum recepit Heynius. Recepit etiam Wolfius et suam addidit conjecturam τά τ' pro τὰ δ', sic locum constituens:

παῖδα δ' ἐμοὶ λῦσαί τε φίλην, τά τ' ἄποινα δέχεσθαι.

Sed Wolfii conjectura non magis necessaria est, quam Apionis et Herodori, quoniam τὲ non semper τὲ particula aut καί, sed etiam δὲ sequitur. Il. V. 359 φίλε κασίγνητε, κόμισαί τέ με, δὸς δέ μοι ἵππους. Quo loco quod hodie legitur τέ μοι, Barnesii conjectura est. At de connexione particularum τέ ... δὲ hodie omnia notissima sunt. Conf. Herm. ad Vig. p. 836, ad Eur. Med. 431. Soph. Aj. 823. Schaef.

ad Dion. Hal. de comp. verb. p. 192 seq. Seidler. ad Eur. Iphig. Taur. 1381. Stallb. ad Plat. Phil. p. 36. Matth. ad Eur. Or. 192 et in Gramm. §. 626. Nihil igitur conjecturis opus est nostro in loco, nec majorem auctoritatem Apionis et Herodori conjectura eo adipiscitur, quod Maximus Planudes (v. Bachmanni Anecd. II. p. 67, 32) eam repetit, Byzantinus grammaticus.

34. Secundum vulgarem lectionem ἀκέων, Chryses t a c e n s, nimirum Agamemnonis iram timens, abiisse dicitur. Sed si reputaveris, patrem ob filiam sibi recusatam summo dolore affectum esse, Zenodoti lectionem ἀχέων huic loco aptiorem esse vix negabis. Ipse Wolfius (Proleg. p. 212) ἀχέων probavit. Cur igitur non recepit?

56. In Zenodoti editione ὀρῆτο et hic et I. 198 repertum est, quod ut Doricum Scholiastae improbant, Zenodotum inscitiae arguentes: ὀρῆτο Ζηνόδοτος, ἀγνοήσας τὸ τῆς διαλέκτου ἰδίωμα ὡς Ἰωνικὸν ἐξέθετο. ἔστι δὲ Δώριον. Sed bene Zenodotum defendit Buttmannus in Gramm. I. §. 105. ann. 15. §. 106. ann. 7, cuius expositio lectu dignissima est. Accedit, quod Od. XIV. 343 (cf. Eustath.) ὁρῆαι, non ὅρηαι, olim scriptum fuit. Neque verum, contractionem vocalium αε in η ab Jonibus in verbis contractis alienam fuisse. Nam Hippocrates ea utitur semper, ac ne Herodotus quidem ea plane se abstinet. Itaque, licet aliis locis ὁρᾶται, ὁρᾶσθαι et similia in nostro quidem textu reperiantur, cur illae priscae orationis relliquiae aspernandae sint, non video, praesertim cum Aristarchum demum vulgarem in α contractionem in Homerica carmina induxisse verisimile sit. Idem sentit Wolfius in Schedd. crit. I. p. 170 seq.

68. Vulgo legitur κατ' ἄρ' ἕζετο. Sed Zenodoti lectio fuit ἐκαθέζετο, quam Schol. A his verbis rejicit: οὐκ ἐᾷ (Ζηνόδοτος) ἑλληνίζειν τὸν Ὅμηρον, ὥσπερ γὰρ οὐδὲ λέγει ἐκατέβαινεν, οὕτως οὐδὲ ἐκαθέζετο. At mirum quantum fallitur bonus interpres. Graece ergo non loquuntur omnes ii seriores scriptores, qui hac forma usi sunt! Nec levior est alter Scholiastae error, quod in ἐκαθέζετο duo augmenta inesse putat. Prudentius Buttmannus (in Gramm. I. §. 86. ann. 2 et in Lexil I. 278. II. 273) negat compositorum verborum praepositioni augmentum in Homericis anteponi. Sed obstat eius sententiae locus Od. XVI. 408, ubi hodie quoque ἐκάθιζον reperitur, obstat Zenodotus, qui non solum hic ἐκαθέζετο, sed etiam Il. I. 611 ἐκάθευδ', et XV. 716 ἐμεθίει servavit, refragantur Scholl. ad Od. III. 402. et ad VI. 1, qui ἐκάθευδε ll. cc. olim lectum fuisse testantur. Verisimile igitur est, Aristarchum, augmenti adversarium, horum verborum augmentum in exilium misisse. Quae cum ita sint, et hoc loco, et ubicunque versus noster redit, ἐκαθέζετο revocandum esse censeo.

Subsequuntur haec verba

τοῖσι δ' ἀνέστη
Κάλχας Θεστορίδης, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος.

In Zenodoti editione *μάντις Θ.* extabat. Adversatur Zenodoto, ut solet, Schol. A: *οὐ δύναται δὲ τῷ γένει τὸ εἶδος ἅμα συγκατατίθεσθαι.* At saepe fit, ut generi species apponatur. Vide Il. I. 62. II. 144 seq. 396. 480. III. 54. IV. 49. V. 122. 723. XIV. 227. XXIV. 221. Nulla igitur idonea causa adest, cur Zenodoti auctoritatem repudiemus.

Vs. 73. Quem versum hoc loco editiones nostrae praebent:

ὅ σφιν ἐΰφρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν,

omnibus locis, quibus iteratur (Il. I. 253 II. 78. 283. VII. 326. 367. IX. 95. XV. 285. XVIII. 253. Od. II. 160. 228. VII. 158. XVI. 399. XXIV. 53. 453), admonitionem aut adhortationem indicat, quae ad totam contionem pertineat, non ad singularem aliquem hominem. Quapropter facere non possum, quin iterum Zenodoti lectionem

ὅς μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,

reducendam esse arbitrer. Suppetias fert simillimus locus: Il. VII. 354:

Ἤτοι ὅ γ' ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο· τοῖσι δ' ἀνέστη
δῖος Ἀλέξανδρος, Ἑλένης πόσις ἠϋκόμοιο·
ὅς μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
Ἀντῆνορ — —

80. *κρείσσων γὰρ βασιλεὺς* vulgo legitur. Sed Zenodotus et hic et III. 71. 92. XVI. 688 *κρείσσω*, I. 249 *γλυκίω*, VII. 114 et Od. II. 180 *ἀμείνω* sine *ν* nobis offert, et a Zenodoto stant tres codices: Lips. 1 et 2 et Amst. qui et ipsi *κρείσσω* exhibent. Hanc priscam Homeroque dignam comparativi formam bene tuetur Buttmannus in Gramm. I. §. 56. ann. 11; eamque restituendam esse existimo, quamvis Scholiastes A priscae linguae ignarus eam rejiciat.

Transeo nunc ad locum quendam, qui tum veteres tum recentiores criticos magnopere exercuit. Quorum discordiam ut componam, liceat mihi primum eum ita exhibere, ut ante Wolfium in editionibus vulgaribus traditus fuit. Dico v. 97.

οὐδ' ὅ γε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει.

Quae ad verba Eustathius annotat: *διχῶς νοεῖται· ἢ γὰρ ὅτι οὐκ ἂν Φοῖβος τοῦ καθ' ἡμῶν λοιμοῦ τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας ἀπόσχῃ, ἢ ὅτι οὐκ ἂν τὰς τοῦ ἀποτροπαίου θεοῦ Λοιμοῦ χεῖρας* (*Λοιμοῖο* igitur scribebant, qui hanc explicationem praeferebant) *ἀποκωλύσῃ ἡμῶν.* Quarum explicationum prior si vera est, hoc dicit Calchas: „Non prius a pestilentia (excitanda) manus suas Apollo arcebit." Sed licet Vossius (Sched. critt. I. p. 174) et Spitznerus huius interpretationis patrocinium in se receperint, Homeri usum loquendi parum ei favere fatendum est. Etenim locorum, qui tamquam similes laudantur, alter: Il. VI. 96 *αἴ κεν Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Ἰλίου ἱρῆς*, hanc habet sententiam: „Si forte Diomedem, ne Ilium expugnet, retineat." Atque Od. XXII. 316 *ἀλλά μοι οὐ πείθοντο κακῶν ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι*, medium

positum esse, non est praetermittendum. Alteram igitur ab Eustathio traditam interpretationem equidem amplector, pace Spitzneri, qui eam vanam compellat. Nam etsi Apollo ipse sagittis pestilentiam Achivis immisit, Calchanti tamen licuit suspicari, *Λοιμόν*, i. e. daemonem pestilentiae ab Apolline missum esse, licuit etiam poetae alterum phantasma alteri substituere. Cuius variationis luculentum exemplum afferam. Apollinem ipsum Patroclo perniciem paravisse poeta narrat Il. XVI. 787 seqq. Verumtamen Patroclus moribundus v. 849 ait: *ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός*, et XXIII. 78 *ἀλλ' ἐμὲ μὲν Κὴρ ἀμφέχανε στυγερή*. Porro, cum sint qui dubitent, num *λοιμοῦ* daemonem Graeci crediderint, auctor est gravissimus Sophocles, qui in Oedipo Rege v. 28 Thebarum regem ita facit sermocinantem: *ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας ἐλαύνει, Λοιμὸς ἔχθιστος, πόλιν.* Res ad liquidum perducitur loco Il. XXI. 548, ubi Apollo Agenori adstitit: *ὅπως Θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι* *). Ita amphiboliam illam ab Eustathio traditam nullam esse, satis demonstravisse mihi videor. Tamen ea jam antiquis temporibus gravis mutationis causa fuit, id quod ex Schol. A. verbis cognoscimus: *Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει. οὕτως αἱ Ἀριστάρχου, καὶ ἡ Μασσαλιωτικὴ δέ, καὶ ἡ Ῥιανοῦ τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον. ἔοικεν οὖν ἡ ἑτέρα Ζηνοδότου εἶναι, ἡ οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει.* Mutatione, non interpretatione, difficultatem pars criticorum tollere studebat. Ad conjecturam confugit etiam Marklandius, qui ad Lys. p. 592 *Κῆρας* pro *χεῖρας* scribi jussit, quae conjectura in ordinem a Wolfio recepta est: „At nusquam, inquit Freytagius, neque apud alios poetas inveniuntur *βαρεῖαι Κῆρες* (nisi ex conjectura positae Il. XXI. 548), nusquam *Κῆρες λοιμοῖο*, nusquam *Κῆρας ἀπέχειν*. Contra *χεῖρες βαρεῖαι* satis frequenter, velut hoc ipso libro v. 89 et 219.“ Confer notam meam.

ἔειπαν, alii ἔειπον, praeter A qui εἶπες

Ante Wolfium Il. I. 106 et 108 *εἶπας*, I. 552. XXIV. 379 *ἔειπας*, Od. III. 427 XXI. 198 *εἴπατε*, sed Il. I. 286 III. 204. IV. 25. VIII. 146. 209. 462. IX. 59. X. 169. XIII. 824. XIV. 330. XV. 206. XVI. 49. 440. XVII. 170. 173. 716. XVIII. 361. XXII. 178. XXIII. 626. Od. II. 85. III. 211. IV. 266. VIII. 166. XIII. 141. 417. XVII. 406. XVIII. 170. XX. 37. XXII. 486. XXIV. 339 *ἔειπες*, et Il. XXIV. 744 *εἶπες* vulgo lectum est. In codicibus ubique magna est varietas. Wolfius, ut in Iliade saltem hanc discrepantiam tolleret, Il. I. 106. 108 *εἶπες*, I. 552. XXIV. 379 *ἔειπες* scri-

*) Scripsi *Θανάτοιο* maiore littera initiali, quod jamdudum fieri debebat. Barnesius conjecit *Κῆρας*, quod Wolfius in textum recepit. Sed *βαρεῖαι Κῆρες* omnibus poetis ignotae sunt, notissimae *βαρεῖαι χεῖρες*. Vide Il. I. 89. 97. 219. V. 81. XIII. 410. XVII. 48. XXI. 548. 590. XXIII. 687. Atque quid causae fuit Barnesio, cur manus a daemone abjudicaverit? *Θάνατος* et *Ὕπνος* Il. XVI, 672 — 683 Sarpedonem occisum in Lyciam transportant. Quod qua tandem ratione peragunt sine manibus?

psit, sed in Odyssea εἴπατε reliquit. Sed cum Aristophanes et Aristarchus (Scholl. ad Il. I. 106. 108. Od. III. 427) primum aoristum antetulerint, atque omnibus Graecis alteram primi aoristi personam in usu fuisse satis constet, Aristophanis et Aristarchi judicio obsequendum esse censeo. Adsentitur Vossius in Schedd. critt. I. p. 175.

Olim v. 108 οὐδέ τι .... οὐδ' vulgata lectio fuit. Wolfius ex nonnullis codicibus οὔτε τι .... οὔτ' assumpsit. Sed audiamus Scholiastas: A. οὐδέ τι πω εἶπας ἔπος, οὐδ' ἐτέλεσσας· οὕτως αἱ 'Αριστάρχου καὶ ἡ 'Αριστοφάνους, καὶ ἔστιν ἐμφατικὸν τὸ οὔτε (Heyn. corr. οὐδὲ) δὶς λεγόμενον. BLV. ἐμφατικόν ἐστι τὸ οὐδὲ δὶς λεγόμενον, καὶ τὴν τῆς μαντείας τύχην λοιδορεῖ, ὡς εἴ τι καὶ χρηστὸν προσείποι, οὐκ εἰς ἀγαθὸν τελευτᾷ. Quorum criticorum et auctoritate et argumentis motus jam Spitznerus vulgatam reduxit. Rem conficit interpres Graecus ap. Bekkerum: ἀγαθὸν δέ τινα οὐδέπω εἶπας λόγον οὐδὲ ἐτελείωσας.

114 non οὐ ἕθεν ἐστί, sed οὔ ἑθέν ἐστι scribendum esse, certis argumentis Spitznerus effecit.

117 σόον omnes codices exhibere videntur. Cui tamen lectioni Scholiastarum testimonia obstant. BLV et Vat. ap. Bentl. ἅπασαι σῶν εἶχον, καὶ συνᾴδει τῷ „νῦν τοι σῶς αἰπὺς ὄλεθρος" (Il. XIII. 773), et A. οὕτως, σῶν, αἱ 'Αριστάρχου, οὐ διῃρημένως σόον. Cur tantis auctoritatibus non sit obsequendum, non video. Adsentitur jam Vossius in Sched. critt. I. p. 177.

124. οὐδ' ἔτι unde Wolfius sumpserit, parum liquet. Omnes libri in οὐδέ τι consentire videntur, idemque testantur Scholiastae. οὐδέ τι vide Il. II. 871. V. 408. XI. 124. Confer Vossii Sched. critt. I. p. 177

168. Aristarcho et Herodiano ἐπεί κε κάμω scribentibus equidem assentior. Nam mira est vulgaris opinio, verbi κάμνω reduplicatum, quem vocant, aoristum Homerum in conjunctivo, et in ea ipsa conjunctivi constructione, quae particulam ἄν sive κὲ postulat, usurpasse, in ceteris modis διπλασιασμῷ abstinuisse. Itaque, cum nusquam κέκαμον, κεκάμοιμι, κεκαμεῖν inveniantur, κεκάμω Homerum dixisse non credo. Il. VII. 5 ἐπὴν κεκάμωσιν vulgata quidem lectio est, sed Aristarchi lectio, quam servat cod. Ven., ibi fuit ἐπεί κε κάμωσιν. Il. XVII. 658 etiam in nostris editionibus legitur: ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσι. Od. IX. 126. οἵ κε κάμοιεν νῆας.

191 Wolfius vulgatum ἐναρίξοι retinuit. Perperam. Nam in ea interrogatione, in qua dubitandi vel deliberandi notio inest, optativi futuro nullus est locus: praesenti tempore aut aoristo opus est. Vide Il. III. 317. V. 672. XVI. 651. Od. IX. 332. XVIII. 90. Xen. Anab. I. 9, 13. 10, 5. 10, 17. II. 3, 7. VII. 4, 10. Hell. IV. 4, 12. Quamobrem alteram lectionem ἐναρίζοι Spitznerus et Freytagius praetulerunt. Sed ne haec quidem satis placet. Nam cum de re semel facienda, non de statu alicuius rei diuturno Achilles deliberet, aoristum requirimus. Atque aoristo usum esse Homerum,

2

et affirmant ceteri huius loci aoristi: *ἀναστήσειεν*, *παύσειεν*, *ἐρητύσειε*, et interpres Graecus ap. Bekk. qui haec habet: *αὐτὸς δὲ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀνέλοι.* Quid multa? Barnesii et Bentleji conjectura, quae recipiatur, digna est. Ex *ἐναρίξαι* facillime in *ἐναρίζοι* et *ἐναρίξει* (quae est cod. Vrat. a lectio) calamus aberravit. *ἐναρίζοι* autem infelicem vulgatae correctionem esse suspicor.

203. Vulgata ante Wolfium fuit *ἴδῃς*, quam codicum pars tuetur. Altera a Wolfio recepta lectio est *ἴδῃ*. Hanc ad Aristarchum, illam ad Zenodotum referunt Scholl. ad h. l. et ad XIII. 449. Cur medium et hoc loco, et III. 163. IV. 205. XIII. 449. XV. 32 praetulerit Aristarchus, indicat Schol. A ad III, 163 *ὅτι χωρὶς τοῦ ς γράφειν ὁμηρικώτερον*. Ni fallor Aristarchus non omnino activum medio posthabuit, sed hanc alteram conjunctivi activi personam. At haec opinio quanti aestimari potest, cum ei nullis argumentis internis nixae obstet antiquius Zenodoti testimonium? Wolfius vero etiam in Odyssea Aristarcho obedivit, nisi quod Od. XV. 76 *ἴδῃς* intactum reliquit.

204. Omnes paene codices et lemma Schol. A praebent *τετελέσθαι ὀΐω*, vulgatam ante Wolfium lectionem. Aristarchus *τελέεσθαι ὀΐω* scripsit, ut videtur, ex conjectura, quia perfectum infinitivi temporis rationi parum consentaneum putabat. Sequitur Aristarchum cod. Mosc. 2 et Isaac. Monachus in Bachm. Anecd. Gr. II. 183, 13. Nec vero haec sive lectio sive conjectura digna fuit, quae a Wolfio in textum reciperetur. Nam *τελέεσθαι ὀΐω*, confectum iri existimo, paululum friget, nec satis affectui huius loci accommodatum videtur. Fiducia majore et graviore affirmatione opus est, quae perfecto infinitivi haud inepte redditur. Quare non reprehenderim eos, qui *τετελέσθαι ὀΐω* praetulerint. Sed nescio an *τετελεσμένον ἔσται* etiam aptius sit, quam lectionem Scholl. ABL nulla idonea de causa aspernantur: *Ζηνόδοτος τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται· τοῦτο δὲ τῇ Ἀθηνᾷ ἁρμόζει μᾶλλον διαβεβαιοῦν.* Achilli ergo non convenit? At Il. II. 257 Ulixes iisdem verbis utitur! Quod Spitznerus asserit, Zenodotum v. 212 *τετελέσθαι ὀΐω* legisse, error est.

205. Vulgata lectio est: *τάχ' ἂν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ*. Sed codd. Ven. Townl. L. et ms. Tz. ap. Bentl. *ὀλέσσαι* praebent, quod jam dudum reduci debebat. Nam optativum usus non solum Homeri, sed omnium Graecorum flagitat. Od. II. 76 *τάχ' ἄν ποτε καὶ τίσις εἴη*. Ac permulti sunt loci apud Homerum, in quibus *τάχ' ἂν* cum optativo constructum est: Il. II. 373. IV. 290. VII. 158. XI. 654. XVI. 71. 723. XXII. 42 (ubi *ἔδοιεν*, Aristarchi lectio, restituatur necesse est) Od. XII. 387. XV. 537. XVII. 164. XIX. 310. XXI. 374. XXII. 78. 134.

207. Codicum Ven. Vrat. A. Mosc. 2. Townl. auctoritate motus Wolfius *παύσουσα τὸ σὸν μένος* vulgatae *π. τεὸν μ.* substituit. Sed alter isque simillimus locus, Il. I. 282 *παῦε τεὸν μένος* vulgatae opitulatur.

238 ἐν παλάμαις, pro ἐν παλάμῃς, optimorum codicum testimonio nititur: Ven. Townl. Lips. Vat. Barocc. Laud. Mosc. 1. Accedit Eustathius, et succurrunt Il. XII. 284 ἀκταῖς. Od. V. 119. h. in Ven. 191 θεαῖς. Reducenda igitur videtur haec in poesi epica rarior dativi forma.

251. Zenodoti lectionem αἵ οἱ praetulerim, non solum ob testis antiquitatem, sed etiam quod vulgata οἵ οἱ, auribus ingrata, correctionem redolere videtur eorum, qui ob τριτάτοισιν solliciti fuerint.

260. Vulgatam ἠέπερ ὑμῖν tuentur omnes codices, praeter Ven., porro Hesych. v. ἤδη et interpr. ap. Bekk. Wolfius vero ex uno Ven. et Schol. A ἠέπερ ἡμῖν in recentissimam editionem recepit. Sed istam lectionem jejuno seriorum criticorum judicio originem debere ex Schol. A verbis elucet: Ζηνόδοτος γράφει ἠέπερ ὑμῖν, ἀντὶ τοῦ ἡμῖν. ἐφύβριστος δὲ ὁ λόγος. διὰ δὲ τοῦ ἡμῖν καὶ ἑαυτὸν συγκαταριθμεῖ, καὶ πάντας τοὺς καθ' αὐτόν. Rejiciunt hanc subtilitatem Heynius, Vossius in Sched. critt. I. p. 187. Freytagius.

Versum 265 Wolfius primus uncis inclusit. Sed cum Vossius (p. 188) bene eum defenderit, vinculis liberatum volo.

269 μεθομίλεον Wolfius retinuit. Sed cum codd. Ven. et Vrat. a μέθ' ὁμίλεον offerant, atque ὁμιλεῖν μετά τινι secundum Homeri usum sit (Il. V. 86. 834. XI. 502), compositum autem verbum nullo alio loco redeat, Aristarchi auctoritatem sequor, μέθ' ὁμίλεον scribentis. Conf. Schol. A.

281 ὅδε Spitznerus et Freytagius ex Scholl. ABL et e codd. Ven. Eton. Townl. Vrat. b receperunt, v. 287 ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ κτλ. in subsidium vocantes. Recte. Wolfius vulgatam ὅγε retinuit.

311. Heynius annotat: „ἂν δ' ἀρχὸς ἔβη Harlej. Laud. Barocc. Vrat. A, unus Vindob., alter ἀνὰ in rasura, br. Schol.“ Adstipulatur interpres ap. Bekk. ἀρχηγὸς δὲ ἀνέβη ὁ πολύβουλος Ὀδυσσεύς. Porro proximum versum compara: οἱ μὲν ἔπειτ' ἀναβάντες ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα. Ac saepe ἀναβαίνειν de navi ascendenda usurpatur. Od. II. 416. 419. III. 157. IV. 473. 579. 842. IX. 177. 178. 562. XI. 4. 637. Plura adscribere taedet. Accedit symmetria constructionis. Nam post: ἐς δ' .... ἐς δ' .... ἀνὰ δὲ .... quid, quaeso, expectas? nonne ἀνὰ δέ? Quare ἐν δ' rejecto, ἀνὰ δ' substituendum censeo.

342. Schol. A ὀλοιῇσι· πλεονασμῷ τοῦ ῑ. Eandem formam Ven. et hic et Il. XXII. 5, porro Hesychius et Etym. M. praebent. In hymno in Ven. v. 225 ὀλοιόν, in Hes. Theog. v. 591 ὀλώϊον certa lectio est. Nec deest analogia vocum φλοιόν, ἠγνοίησε, χροίη, εἴως, χρειώ, δειέλος, νειοῖο. Wolfius vulgatam ὀλοῇσι retinuit, sed Bothius, Spitznerus, Freytagius ὀλοιῇσι merito praetulerunt. Idem suadet Vossius in Sched. critt. I. p. 194.

350. Quid Wolfium impulerit, ut θίν' scriberet, nescio. θίν' est lectio Scholl. BL. cod. Ven. et, ut videtur, omnium librorum. Testis adest etiam interpr. ap. Bekk., qui ita locum reddit: ἐκαθέζετο ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν τῆς λευκῆς θαλάσσης. Spitznerus comparat Od. VI. 236 ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης, et laudat Il. XIII. 281. XIV. 437. Od. XII. 171. Quint. Sm. V. 86.

351 χεῖρας ὀρεγνὺς tuentur Il. XV. 371. XXII. 37. Od. IX. 527. Video. Verum, si ea lectio jam in antiquis libris extabat, quaero quid causae fuerit, quod quidam χ. ἀνασχών, Zenodotus χ. ἀναπτὰς scriberet? Ut libere dicam quid sentiam, ἀναπτὰς vera mihi videtur lectio, quam cum non intellexissent seriores critici, non enim meminerant, verba πετάννυμι et πέτομαι a poetis interdum confundi (conf. Buttm. Gramm. II. v. πετάννυμι), in emendationem versi sunt. Atque ἀνασχὼν est eorum, qui non sint ansi nisi syllabatim a vera lectione ἀναπτὰς recedere. Sed fuerunt etiam, qui Zenodoti lectionem et recte perspicerent et servarent. Cuius rei testimonio sunt verba interpr. ap. Bekk. τὰς χεῖρας ἀναπετάσας. Succurrunt alii loci: Il. IV. 523. XIII. 549. XXI. 115. Od. XI. 392.

381. Schol. A ἐπεὶ μάλα οἱ φίλος ἦεν] Σέλευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ καὶ Κρητικῇ, ἐπεὶ ῥά νύ οἱ φίλος ἦεν. καὶ Θεαγένης δ' οὕτω προφέρεται. ἀπίθανον γὰρ τὸ ὁ δέ νυ λίαν φίλος ἦεν. Habemus hic testimonium antiquissimarum editionum, quae aetate criticos Alexandrinos antecedunt. Quarum auctoritati obsequendum arbitror.

Tres lectiones v. 393 offeruntur: ἑῆος, ἐῆος, ἑοῖο. Hanc Zenodoti lectionem (Schol. A) codd. Cant. Vrat. 1. Vindob. praebent, eaque Il. XV. 138. XXIV. 422. 550 redit. Istam veram et Homericam esse inde colligo, quod poetae Graeci pronomina tertiae personae haud ita raro de prima et altera persona usurparunt. Consule Wolfium in Prolegg. p. 247 seqq. Passov. in lex. v. ἑός, ὅς C, σφεῖς, σφέτερος, Schaefer. ad Greg. Cor. p. 470, Spohn. ad Hes. Op. 56. Voss. ad h. in Cer. 103 et in Sched. critt. II. p. 116 seq. Contra duarum aliarum lectionum exigua aut nulla auctoritas est. Nam ἑῆος a serioribus demum criticis fictum esse, Buttm. (in lexil. I. p. 85 seq.) demonstravit. ἐῆος autem ob hanc causam in locum antiquae lectionis successit, quia Aristophanes et Aristarchus eorumque discipuli vulgarem suae aetatis usum secuti illum antiqui temporis usum reprehenderunt et relegare studuerunt. Itaque in priscis Homeri et Hesiodi carminibus ea, quae leni correctione mutari poterant, mutabant, alia, quae tali mutationi obstabant, pro interpolatis habebant. Inde factum est, ut Il. I. 496 παιδὸς ἑοῦ (filii sui) de Achille dictum loco non moverent, sed hoc loco παιδὸς ἑοῖο (tui filii) de eodem Achille prolatum expellerent. Eadem ratio est locorum Il. XIII. 522 et XV. 138, in quibus de Ascalapho sermo est. In priore υἷος ἑοῖο, quia pronomen tertiae personae vim habet, toleraverunt, in altero, quia secundae personae, ἑοῖο

relegandum esse judicaverunt. Porro Il. 206 nullam aliam ob causam illi critici damnarunt, quam quod *σφίσι* de altera persona ibi dictum est. Il. X. 398, ubi haec leguntur: *φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν, οὐδ' ἐθέλοιτε*, alii *βουλεύουσι* et *ἐθέλουσι* in gratiam regulae suae scripserunt, alii totum versum cum duobus aliis obelo trafixerunt. Il. XIX. 174 *σὺ δὲ φρεσὶν ᾗσιν ἰανθῇς*, quae ante Wolfium vulgata fuit, in *φρεσὶ σῇσιν* mutaverunt. (Attamen Hesiodus Op. v. 381 dicit: *σοὶ δ' εἰ πλούτου ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσιν.*) Neque Od. I. 402 ad verba *δώμασιν οἷσιν ἀνάσσοις* deest conjectura *δώμασι σοῖσιν*, quamquam in hoc quidem exemplo plerique translationem ad alteram personam agnovisse et admisisse videntur. Sed iterum damnant Od. IV. 192 *οἷσιν ἐνὶ μεγάροισι* nostrae domi et Od. XIII. 320 *φρεσὶν ᾗσιν* mea in mente. Verum hoc temerarium Aristarcheorum judicium approbare, stultum est. Ipse Wolfius (Prolegg. p. 249) admonet, ne omnia ad barbarismos et soloecismos releganda putes, quae Aristarchus compunxerit. Jam aliae causae accedunt, ex quibus equidem *ἑῆος* locis supra allatis tollendum esse existimaverim. Nam impudens profecto homo esset Achilles, si cum matre sermocinans „nobilem filium" ipse se appellaret; neque Il. XXIV. 550 ab Achille „nobilem filium Priami" Hectorem dici credibile est, quippe quem idem Achilles paulo ante contumeliosissime tractaverit. In tantas ineptias inciderunt grammatici praejudicata sententia decepti! Ac ne id quidem, quod recentiorum criticorum quidam sibi persuaserunt, concedi potest, *ἐΰς*, ut *φίλος*, in locum pronominis possessivi succedere posse: quia inter *ἐΰς* et possessivum nulla profecto notionis cognatio extat, quae sane extat inter *φίλος* et possessivum. His de causis a Wolfio *ἑῆος* edente dissideo.

396. Ante Wolfium *γὰρ σέο* editum est. Aristarcho obtemperans Wolfius *γάρ σεο* scripsit. At optimo jure Thierschius in Gramm. §. 205. 15 et Spitznerus obloquuntur. Conjunge *σέο ἄκουσα εὐχομένης*.

400. *Φοῖβος Ἀπόλλων*, pro *Παλλὰς Ἀθήνη*, lectio fuit cum aliorum tum Zenodoti. Vide Scholl. BL ad h. l. Scholl. V ad Il. XXI. 444 et Eustathium. Quin etiam Schol. ad Pind. Ol. VIII. 41 et Schol. ad Lycophr. 34, 399 *Φοῖβος Ἀπόλλων* tamquam vulgatam laudant, illeque addit: *οὐχ ὡς ἔνιοι· καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.* His testimoniis accedunt alia argumenta. Nam veram esse Zenodoti lectionem etiam ex connexu fabulae patet, quam tradunt Scholl. BL. *τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ Ἀθήνη γράφουσι καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων· τοῦτον γὰρ εἰκὸς ἠχθρευκέναι Διΐ, μὴ φέροντα τὸν ζῆλον τῆς ἐκείνου τυραννίδος. ὅθεν Ἥραν μὲν δέει, τοὺς δὲ* (Neptunum et Apollinem, cf. Il. VII. 452 seq. XXI. 441 — 457) *Λαομέδοντι ὑποτάσσει.* Accuratius rem narrant Scholl. AD: *Ζεὺς παραλαβὼν τὴν ἐν οὐρανῷ διοίκησιν περισσῶς τῇ παῤῥησίᾳ ἐχρῆτο, πολλὰ αὐθάδη διαπρασσόμενος. Ποσειδῶν δὲ καὶ Ἥρα καὶ Ἀπόλλων [καὶ Ἀθηνᾶ] ἐβούλοντο αὐτὸν δήσαντες ὑποτάξαι. Θέτις δὲ ἀκούσασα παρὰ τοῦ πατρὸς*

Νηρέως (ἦν γὰρ μάντις) τὴν Διὸς ἐπιβουλὴν ἐσήμευσε πρὸς αὐτόν, ἐπαγομένη Αἰγαιῶνα φόβητρον τῶν ἐπιβουλευόντων θεῶν: ἦν δὲ θαλάσσιος δαίμων οὗτος, καὶ τὸν πατέρα Ποσειδῶνα κατεβράβευεν. ἀκούσας δὲ ὁ Ζεὺς Θέτιδος, τὴν μὲν Ἥραν ἐν τοῖς καθ' αὐτοῦ δεσμοῖς ἐκρέμασε, Ποσειδῶνι δὲ καὶ Ἀπόλλωνι τὴν παρὰ Λαομέδοντι θητείαν ἐψηφίσατο, τῇ δὲ Θέτιδι τὴν Ἀχιλλέως τιμὴν εἰς τὰ μετὰ ταῦτα ἐταμιεύσατο. ἱστορεῖ Δίδυμος. Ex ultimis verbis patet, voces *καὶ Ἀθηνᾶ*, quas uncis inclusi, a Didymi narratione alienas et a Scholiastis aut a quopiam alio utriusque lectionis conjungendae causa male insertas esse. Nam cum ceteri dii conjurati gravi poena affecti sint, cur Minerva poenas non dedit? Idem elucet ex verbis Scholl. BL et ex iis, quae Schol. V ad Il. XXI. 444 animadvertit: *ἠθέλησαν γὰρ συνδῆσαι τὸν Δία Ποσειδάων καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων.* Confer etiam Pindari et Lycophronis scholiastas. Qui igitur vulgatam lectionem *Παλλὰς Ἀθήνη* defendunt, dicant velim, qui factum sit, ut ab Apolline, qui conjurationis expers fuisset, poenas conjurationis Jupiter repeteret, a Minerva, quae affinis conjurationis fuisset, non repeteret? Restat ut originem vulgatae investigemus. Est vero ea lectio, si quid video, ex argumentatione quadam parum idonea orta, ut multae aliae. Cognoscimus id ex his Scholl. BL verbis: *Ζηνόδοτος γράφει Φοῖβος Ἀπόλλων. ἀφαιρεῖται δὲ τὸ πιθανόν· ἐπίτηδες γὰρ τοὺς τοῖς Ἕλλησι βοηθοῦντας θεοὺς ἠχθρευκέναι Διΐ φησιν, ἵνα μᾶλλον ἀκούοιτο Θέτις.* Ita argumentantur isti scholiastae, quasi Homerus illam de coelestium tumultu fabulam ipse finxerit, ac non e prioribus carminibus desumpserit. Neque propterea, quod ii dei, qui nunc Achivis favent, olim Jovi insidiati sint, sed quod Thetis una de diis Jovi opem tulit, suas, Thetidis filii, injurias Jovem persecuturum, Achilles sperat. Jam Lobeckius in Aglaoph. I. p. 287 Zenodoti lectionem praetulit, atque ipse Wolfius (vide Usterium I. p. 144). Cur igitur Wolfius eam non recepit?

428. Wolfius *ἀπεβήσατο* intactum reliquit. Sed primum medii aoristum verborum *βαίνω* et *δύω* et simplicium et compositorum ubique expellendum esse, hodie inter viros doctos constat. Conf. Thiersch. in Gramm. §. 213, 40. Buttmann. in Gramm. I. §. 96 p. 418. Voss. in Sched. critt. I. p. 202. Spitzner. Freytag. ad h. l. Alterum aoristum commendat non solum codicum optimus quisque, sed etiam Zenodotus. Schol. B ad Il. II. 35 *ἀπεβήσετο*] *ὁ μὲν Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ε̄ γράφει, ὃ καὶ ἄμεινον, οἱ δὲ ἄλλοι διὰ τοῦ ᾱ.*

435. Male Wolfium vulgatam *προέρυσσαν ἐρετμοῖς* et servasse et in Praef. novae ed. p. 73 defendisse, tum Spitznerus tum Freytagius demonstrarunt. Satis igitur habeo verba Schol. A adscribere: *διὰ τοῦ ε̄, προέρεσσαν, οὐ διὰ τοῦ ῡ, προέρυσσαν, καὶ ἡ Ἀργολικὴ καὶ ἡ Σινωπικὴ καὶ ἡ Σωσιγένους.* Eustathius ad Od. IX. 73 *προερέσσαμεν* Aristarchi lectionem fuisse testatur.

447. ἱερήν, pro κλειτήν, revocandum esse arbitror. Nam Schol. A ἱερήν, οὐ κλειτήν Zenodotum et Aristarchum legisse testatur. Cui lectioni opitulantur alii loci: Il. I. 99. 443. Od. XX. 276 ἱερὴν ἑκατόμβην, Od. III. 144. XI. 132 ἱερὰς ἑκατόμβας. Nec verum videtur, quod affirmat Freytagius, vulgatam majorem vim habere, et pleniori descriptioni magis convenire.

484. Wolfius vulgatam et Aristarchi lectionem κατὰ στρατὸν loco non movit. Sed cum Homeri constans usus μετὰ στρατὸν requirat (conf. Voss. p. 209. Spitzner. Freytag.), Ven. cum multis codd. μετὰ praebeat, et κατὰ στρατὸν sit in castris aut per castra, recentissimi editores μετὰ jure reduxerunt. Schol. A quidem in vulgatae auxilium Il. I. 424 χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα vocat, sed illo loco sententiam habet hanc: ut convivii particeps fieret. Conf. Od. III. 106.

522. Schol. A μή σε] οὐχὶ μή σε, ἀλλὰ μή τι αἱ Ἀριστάρχου καὶ αἱ ἄλλαι σχεδὸν πᾶσαι διορθώσεις. καὶ μήποτε ἐκ περισσοῦ τὸ τί πρόσκειται, ὡς ἐπὶ τούτων „μή τι φόβονδ' ἀγόρευε" (Il. V. 252); „μή τί μευ ἠΰτε παιδός" (Il. VII. 235)· „μή τι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο" (Il. I. 550). Heynius μή τι recepit, cui adsentior.

530. Schol. A κρατός] ὅτι Ζηνόδοτος γράφει κρητός. οὐκ ἔστι δὲ Ἰακόν. Mira opinio, cum constet, $\bar{\eta}$ pro $\bar{\alpha}$ Jonibus usitatum fuisse. Atque antiquo quidem tempore num nomen κρῆς exstiterit, certa testimonia dubitari non sinunt. Il. XVI. 548. Od. XI. 587. Hes. Theog. 574. h. in Cer. 182 κατὰ κρῆθεν invenitur *). Hesychius κατὰ κρῆθεν] κατὰ κεφαλῆς. Etym. M. κατακρῆθεν (l. κατὰ κρῆθεν)] κατὰ κρατός. Inde patet κρῆθεν pro genitivo habuisse veteres, locali sensu, neque Hesychius modo et Et. M. id testantur, sed etiam Hesiodus in Scut. v. 7 ἀπὸ κρῆθεν, βλεφάρων τ' ἄπο κυανεάων. Neque ulla extat causa, cur nostrae aetatis grammatici θεν pronominibus suffixum (ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν) genitivi terminationem esse affirment, substantivis vero suffixum negent. Sed κατὰ κρῆθεν et ἀπὸ κρῆθεν sive pro genitivo sive pro adverbio habes, eo non minus substantivum κρῆς olim extitisse evincitur, quam vel ex formis ἐξ Αἰσύμηθεν (Il. VIII. 304), ἀπ' οὐρανόθεν (Il. XXI. 199), ἐξ οὐρανόθεν (Il. VIII. 19), ἐξ ἁλόθεν (Il. XXI. 339), ἐξ Ἀργόθεν (Soph. Ant. 106), substantiva Αἰσύμη, οὐρανός, ἅλς, Ἄργος Graecis in usu fuisse manifestum esset, etiam si aliunde non constaret. Sed cum videam κρῆθεν ex κάρηθεν aut καρῆθεν per syncopen ortum credi, κάρηθεν aut καρῆθεν vel uno exemplo comprobatum velim. Ridiculum est vero, ex formis, quae non extent, alias formas derivare. Falsa igitur cum

---

*) Male κατάκρηθεν, aut κατακρῆθεν vulgo edi, demonstraverunt Lobeck. ad Phryn. 49. Voss. ad h. in Cer. l. c. Both. et Spitzner. ad Il. XVI. 548.

veris mista sunt in Etym. M. *καταχρῆθεν* (l. *κατὰ κρῆθεν*)] *κατὰ κρατός. παρὰ τὸ καρὴ ὀξυνόμενον γίγνεται καρῆθεν· καὶ κατὰ συγκοπήν, κρῆθεν· καὶ Ἡσίοδος ἀποκρῆθεν* (l. *ἀπὸ κρῆθεν*) *εἶπεν.* Deinde Il. XIII. 772. XV. 557. XXII. 411. XXIV. 728. Od. V. 313 hodie quidem *κατ' ἄκρης* legitur, sed in codicibus multis *κατάκρης* invenitur, et fuerunt olim critici, qui *κατὰ κρῆς* praeferrent}. Testis est Schol. A ad XIII. 772 *τινὲς δὲ κρῆς μονοσυλλάβως, ἐπεὶ καὶ κρῆθέν φησιν.* Ad Od. V. 313 varia lectio *κατὰ κρὴς* exhibetur, et non inepte Nitzschius Il. XVI. 392 *ἐπὶ κάρ*, et Xenoph. Hell. VII. 2, 8 et 11 *κατὰ κεφαλὴν* comparat. Porro substantiva *κρήδεμνον* capitis ligamentum et *κρήνη* caput aquae a voce *κρὴς* sive *κρῆς* originem duxisse in aperto est. Accedit denique *κρητὸς* Zenodoteum, quod nemo Zenodotum ex conjectura posuisse putabit. Immo vero aliis etiam locis *κρητὸς* et cognatas formas in Homericis carminibus antiquitus lectas fuisse, verisimile est. Itaque *κρητὸς* restituendum esse censeo.

541. Mendum Wolfianae editionis *αἰεί σοι* Spitznerus primus correxit, *αἰεί τοι* revocans.

559. Schol. L *πολέας*] *Ζηνόδοτος πολεῖς.* Ad Il. XXI. 131 Schol. A: *Ἀρίσταρχος πολέας, ἔνιοι δὲ πολεῖς* et Schol. V *πολεῖς*] *οὕτω τινές.* Errare igitur videtur Schol. A, qui ad Il. II. 4 Zenodotum ait *πολὺς* legisse. Codices et editiones nostrae ubique inter formas *πολέας* et *πολεῖς* fluctuant, verumtamen contractae formae in iis major est auctoritas, ac cod. Ven. hic quidem et II. 4 *πολέας*, sed Il. XIII. 734. XV. 66. XX. 313. XXI. 59. 131 *πολεῖς* habet. Vide Spitzn. Atque in prioribus quidem editionibus Wolfius *πολεῖς* quinque iis locis, quos modo citavi, servavit, in recentissima constantiae causa *πολέας* substituit. Mihi contrarium placet, ubique *πολεῖς* scribendum esse censeo.

570. *θεοὶ οὐρανίωνες*] Item Il. XVII. 195. XXIV. 612. Od. VII. 242. IX. 15. XIII. 41. Wolfius primus *Οὐρανίωνες* scripsit, nisi fallor, Urani filios nepotesve deos esse opinatus. Sed dii secundum Homerum Oceano geniti sunt, vide Il. XIV. 201 et 302: *Ὠκεανόν τε, θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν*, quae verba interpres Gr. ap. Bekk. ita reddit: *Ὠκεανὸν τὸν τῶν θεῶν πατέρα, καὶ μητέρα τὴν τροφόν* (l. *Τηθύν*). Porro vulgarem scripturam *οὐρανίωνες*, ad quam Freytagius merito rediit, firmant veteres critici. Interpr. Gr. *οἱ θεοί*, inquit, *οἱ οὐράνιοι.* Hesychius *οὐρανίωνας*] *τοὺς ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἀρχὴν τεταγμένους.* Aptius dixisset Hesychius, *οὐρανίωνας* esse eos deos, *οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν* (Il. XX. 299. XXI. 267. Od. I. 67. IV. 378. 479. V. 169. VI. 150. 243. VII. 209. XI. 133. XII. 344. XIII. 55. XVI. 183. 200. 211. XXII. 39. XXIII. 280), aut qui *ἐπουράνιοι* appellantur: Il. VI. 129. 131. 527. Od. XVII. 484. Etenim *οὐρανίωνες* ubique sunt coelicolae, quod eorum causa annoto, qui Il. V. 898 de Titanibus cogitant. Conf. etiam Il. V. 373. XXI. 275.

509. XXIV. 547. Si qui patronymica forma Wolfii opinionem adjuvari putent, non semper terminatio in ιων patronymica est. Nisi forte Vulcanum κυλλοποδίονα non Jovis, sed Cyllopodi nescio cuius filium esse existimas. Vide Welker. Aesch. Tril. p. 549 et Freytag. ad h. l.

583. Vulgo ἡμῖν legitur, etiam in Wolfii editione. Errat enim Spitznerus, ἡμιν Wolfium dedisse dicens. Sed ἧμιν legendum esse, hodie constat. Vide Bekk. in Censura ed. Wolf. p. 166. Thiersch. in Gramm. §. 205, 18, 2. Spitzner. Freytag.

585. Vulgatam lectionem ἐν χερσὶ jam Heynius relegavit, quem Spitznerus et Freytagius secuti sunt. Cod. Ven. ἐν χειρὶ praebet, cuius lectionis et gravissimi et plurimi auctores in scholiis extant. A ἐν χειρὶ τίθει] οὕτως αἱ Ἀριστάρχου, ἐν χειρί, οὐ πληθυντικῶς ἐν χερσίν. ὁμοίως καὶ ἡ Μασσαλιωτικὴ καὶ ἡ Σωσιγένους καὶ ἡ Ἀριστοφάνους· συνᾴδει δὲ καὶ τὸ ἐπιφερόμενον „μειδήσασα δὲ παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον" (v. 594). L ἐν χειρὶ τίθει] πᾶσαι ἑνικῶς ἔχουσι τὸ χειρί, οὐ πληθυντικῶς. καὶ συνᾴδει τῷ „ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον." Recte, quoniam una manus poculo capiendo sufficit. Vide etiam Il. XXIV. 101 Ἥρη δὲ χρύσεον καλὸν δέπας ἐν χερὶ θῆκεν. Od. XV. 148 οἶνον ἔχων ἐν χειρὶ μελίφρονα δεξιτερῆφιν, χρυσέῳ ἐν δέπαϊ. Singularis restituendus est etiam his locis: Od. III. 51. VIII. 406. XIII. 57. XV. 120. XVIII. 152. Contra plurali numero utitur Homerus in re majore: Il. I. 441. 446. Confer Vossium p. 220. Male igitur Wolfius h. l. pluralem servavit.

598. Vulgata lectio est ᾠνοχόει, quam confirmare omnes codices videntur. Sed quam exigua eorum auctoritas fidesque sit, vel ex hoc uno loco cognoscitur. Nam Schol. A οἰνοχόει] οὕτως οἰνοχόει Ἀρίσταρχος Ἰακῶς· καὶ ἐν τῇ Ἀργολικῇ καὶ Μασσαλιωτικῇ καὶ Ἀντιμαχείῳ καὶ ἐν τῇ Ζηνοδότου καὶ Ἀριστοφάνους. L ᾠνοχόει] οἰνοχόει Ἰακῶς πᾶσαι. κατάχρησις δὲ ὁ τρόπος. Tot tantisque auctoribus Wolfius quidem fidem denegavit et hic et Od. XV. 141, sed obsecuti jam sunt Heynius, Spitznerus, Freytagius. Conf. Thiersch. in Gramm. §. 209, 21.
